

1965-02-26 – SS Paulus VI - Motu Proprio ‘Sacro Cardinalium Consilio’

LITTERAE APOSTOLICAE
MOTU PROPRIO DATAE*

SACRO CARDINALIUM CONSILIO
DE ELECTIONE DECANI ET SUBDECANI
SACRI CARDINALIUM COLLEGII

PAULUS PP. VI

Sacro Cardinalium Consilio, cuius momentum et gravitas quantum postris hisce diebus aucta sint neminem latet, iteratas cogitationes adhibendas hodie esse rensemus, ut translaticiam Iuris Canonici normam immutantes novam inducamus in successionem sive Decani sive Subdecani eiusdem amplissimi Consilii. Placet videlicet Nobis, ut in posterum duo haec officia non iam ipso iure ii Cardinales adipiscantur, qui *antiquiores sint promotione ad aliquam Sedem suburbicariam* (cf can. 237 § 1), sed quos Collegae, dioecesium suburbicariorum Episcopi vel harum titulo ornati, suis suffragiis ad istiusmodi munera designaverint. Quapropter, derogantes quantum opus est canoni 237 § 1 et § 2 Codicis Iuris Canonici, Nostris hisce Litteris motu proprio datis, ea quae sequuntur statuimus.

I.

Primum omnium, volumus ut cum Decanus tum Subdecanus ex Cardinalibus dumtaxat deligantur, qui *Sedium suburbicariorum vel Episcopi sint vel titulum gerani*; cum hinc Cardinales Decanus et Subdecanus munera sua Romae explere debeant, illinc vero, vi can. 238 § 1 et § 2, Cardinales Episcopi suburbicarii obligatione teneantur residendi in Curia.

II.

Quam ob rem, ubi vacaverit officium Decanatus Sacri Collegii, Cardinales sive Episcopi dioecesium suburbicariorum sive harum titulo decorati, iisque tantum, praesidente Subdecano, si adsit, aut antiquiore ex ipsis, e coetus sui gremio virum eligent, qui Decanum Sacri Collegii agat; atque eius nomen ad Summum Pontificem deferent, qui unus illud probare poterit.

III.

Hanc electionis formani quoad omnia tunc etiam servari volumus, cum Subdecanatus officium vacaverit; quo tamen in casu, eligenti coetui Cardinalis Decanus praeerit.

IV.

Quam sive Decani sive Subdecani eligendi rationem, de qua in nn. I, II et III egimus, in posterum semper servari iubemus.

V.

Cardinali Subdecano iam ius posthac non competit, ut ipso facto in Decanatum vacantem succedat, sed ut tantummodo Decani impediti vices sustineat.

VI.

Quod ad munera attinet Decani et Subdecani Sacri Collegii, his condicionibus electorum, nihil immutandum esse censemus de normis nunc vigentibus.

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris motu proprio datis decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVI mensis Februarii, anno MDCCCCLXV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI

* AAS 57 (1965), pp. 296-297